



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

Sect. 1. Vtrum ens in quantum ens habeat aliquas paßiones, & quales illæ  
sint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

nam: & quia continentia in qua fundatur eius conceptus, aequè est in tota entitate secundum se totam: ergo solum potest in ente habere locum altera prædictio per confusionem conceptus: ergo etiam è contrario modificatio, seu determinatio ad inferiora genera solum esse potest per simplicem conceptum magis expressum, & determinatum, quia contractio debet proportionatè respondere abstractioni, & expressio seu determinatio præcisioni.

XI. Tandem contra hanc sententiam sic explicatam non occurrit difficultas alicuius momenti: nihil enim se offert, quo ostendi possit hunc modum abstractionis & contractionis secundum rationem repugnare, aut non sufficere ad omnia, quæ de ente & eius inferioribus dici solent, aut concipi, & ad omnem experientiam, quæ ex modo concipiendi nostro sumatur, vel percipi possit. Solum video posse obiici Philosophi testimonium, lib. 3. Metaph. tex. 3. dicentis, non posse commune prædicatum contrahi per differentiam, quæ per se includat ipsum commune prædicatum. Sed ut omitam testimonia, quæ ex illo libro sumuntur non esse firmæ authoritatis, quia Arist. nihil in illo libro docet asserendo, sed arguendo, & dubitando: tamen falso citatur, quia non loquitur de quolibet communi prædicato, sed de genere, de quo est alia ratio, ens autem non est genus, imò hoc ipsum vult ibi Aristoteles concludere. Vnde & aliqui id extendunt ad omne prædicatum commune, vel vniuocum, gratis dictum est, & præter mentem Philosophi. De qua re iterum infra redibit sermo, tractando de vniuersalibus, & de analogia, vel communitate entis, & accidentis.

XII. Hinc sequitur conceptum substantiæ, & conceptum perfectiatis, seu modi *per se* obiectiue non distinguui, sed tantum ex modo concipiendi, ut quod, vel ut quo: sicut Deus, & Deitas: quia in re propriè non est quo, & quod, sed tantum quod: mens autem, quia non potest explicare simplicia, nisi ad modum compositorum, utitur illis concipiendi modis. Et idèd suprà dicebam, rectè quidem dici vnum ex his modis distinguui ab alio se ipso: tamen, consequenter loquendo, idem esse dicendum de ipsis generibus, quæ apprehenduntur ut constituta per tales modos: quia reuera ibi nulla est constitutio per modum compositionis, sed per simplicem, & adæquatam identitatem (sicut dicunt Theologi de relatione & persona diuina) quia quidquid vnum includit, includit aliud. Neque est vlla ratio ob quam modus *per se*, magis se ipso distinguatur ab alio modo, quam substantia: cum

*Quæstione* proximè etiam sit sub ente, & intimè ac totaliter inclusa illud. Atque hac ratione optimè dicuntur *suprema genera* primo diuersa, non quia in nullo communi conceptu confuso conueniant, sed quia non habent determinatas differentias, quæ sint extrarationem illius communis seu entis, sed se ipsis habent diuersitatem in propriis ac determinatis naturis, quauis etiam habeant imperfectam similitudinem in ratione entis: hæc enim duo non repugnant, ut in superioribus declaratum est.

## DISPUTATIO III.

in tres sectiones distributa.

De passionibus entis in communi, &amp; principiis eius.

I. Explicata formali ratione obiecti adæquati huius scientiæ, antequàm ad particularia obiecta descendamus per varias entis diuisiones, oportet de passionibus illi adæquatis, & quæ cum illo conuertuntur, disputare: quoniam proprium munus scientiæ est passionem de suo subiecto

Franc. Suar. Metaph. Tom. II.

demonstrare. Hic ergo de his passionibus in communi, postèa de singulis in speciali dicemus: quia verò scientia utitur aliquibus principiis ad suas passiones, demonstrandas, hic etiam breuiter declarabimus, quibus principiis uti possit, aut debeat hæc doctrina. Agimus autem hic de principiis cognoscendi, quæ solent principia complexa vocari: nam de principiis seu causis realibus inferius dicemus.

## SECTIO I.

Vtrum ens in quantum ens habeat aliquas passiones, &amp; quales illa sint.

**R**atio dubitandi est, quia, ut aliqua sit vera, & realis proprietas alterius, quatuor condiciones ut minimum requirit. Prima est, ut ipsa proprietas sit aliqua res, nam si sit nihil, quomodo esse poterit realis proprietas? Secunda, ut distingatur aliquo modo ex natura rei ab illo, cuius est proprietas: nam si sit omnino idem cum illo, potius erit essentia, vel de essentia eius, quam proprietas. Tertia, ut adæquatè illi conueniat, seu cum illo conuertatur: agimus enim de proprietate, quæ per se secundo alicui conuenit: nam hæc sola est, quæ sub scientiam cadit, & demonstrari potest. Quarta denique est, ut subiectum, seu id cuius est proprietas, non sit de intrinseca ratione & essentia talis proprietatis, quia, ut Aristoteles dicit libro 7. Metaphysicæ capit. 5. text. 18. & 1. Poster. capit. 18. tex. 35. subiectum non cadit intrinsecè & essentialiter, sed solum ut additum in definitione passionis: alioqui mutuo ita se haberent, quod passio conueniret subiecto per se secundo, subiectum autem passioni per se primo: quæ videtur aperta repugnantia. Sed fieri non potest, ut respectu entis sit aliqua proprietas, quæ hæc omnes condiciones habeat: nam, si proprietas realis est, intrinsecè & essentialiter est ens reale: quia neque omnino non ens, neque solum ens rationis esse potest: quia (ut dicebam) quod nihil est, vel solum per rationem fingitur, non potest esse realis passio entis realis: debet ergo esse aliquid reale: ergo est ens reale quidditatiue & essentialiter: nam, ut suprà contra Scotum probatum est, nihil potest esse reale, quod intrinsecè & essentialiter ens reale non sit. Repugnat ergo esse proprietatem realem entis realis ut sic: quia si est proprietas realis: ergo ens est de essentia eius: si autem ipsa est proprietas entis, ens non potest esse de essentia eius, quia, ut dicebamus, subiectum non potest esse de essentia passionis. Rursus id quod est essentialiter ens, non potest ex natura rei distinguui ab ente: ut suprà generaliter probatum est: ergo nec potest esse passio entis. Item, quod est essentialiter ens & non est ipsum ens in communi, est inferius ad ens: ergo non conuertitur cum ente: ergo non potest esse proprietas entis. Tandem, quod est essentialiter ens, debet habere omnes proprietates entis, si quæ illa sunt: ergo non potest illud ipsum esse proprietas entis: alioqui, esset proprietas sui ipsius, quod plane repugnat: vel certè includeret aliam proprietatem sibi similem, & à se distinctam: & idem rursus de illa dici posset: & sic procederetur in infinitum.

Varia sententia referuntur.

II. In hac re tres inuenio dicendi modos. Primus est, ens habere reales & positius proprietates ex natura rei ab ipso distinctas, quæ tamen in se intrinsecè & essentialiter entia non sunt. Sumitur ex Scoto locis suprà citatis in 1. dist. 3. quæstio. 3. & dist. 8. quæst. 2. & in dist. 3. quæst. 3. & 6. Fundamenta eius quoad duas vltimas parres tacta sunt in ratione dubitandi. Prima verò pars probari breuiter potest,

F 3 primo

primo ex generali sententia omnium, qui has passionibus enti tribuunt, vnum, verum, bonum, quæ non sunt conficta ab intellectu, sed vere & realiter enti conueniunt: & sunt extra naturam ipsius entis, quia esse vnum: &c. non ita essentialiter prædicatur de rebus, sicut esse ens. Item, quia scientia nō demonstrat de obiecto suo reali, nisi proprietates reales: sed Metaphysica est vera scientia demonstrans de suo obiecto has passionibus: sunt ergo hæc veræ & reales passionibus. Et hoc significauit Aristot. 4. Metaphys. cap. 1. dicens, *hanc scientiam contemplantiens, quatenus ens, quæ illi per se insunt*: neque enim per se inesse possunt realibus, quæ realia non sunt: habet ergo ens proprietates reales.

III.  
Secunda sententia.

Secunda sententia, quam defendunt aliqui Thomistæ conuenit cum Scoti in primis in hoc, quod necesse est ens habere passionibus reales: quia non potest omnino nullas habere, alioquin non posset esse obiectum scientiæ: si autem reales non sunt, nullæ sunt, quia quod reale non est, non potest semper, per se, ac necessario, enti conuenire: quod tamen est de ratione propriæ passionibus. Vnde consequenter cōcedunt, has passionibus distinguere formaliter ex natura rei ab ente, quia hoc etiam est de ratione proprietatis realis. Item, quia huiusmodi passionibus non prædicat formaliter essentiam rei, sed modum extra essentiam. Vnde hæc propositio, homo est ens, est in primo modo dicendi per se: non tamē hæc: homo est vnus: propter quod Aristot. 4. Metaph. text. 2. ait, ens & vnum esse idem, non tamen simpliciter, & vt synonyma, sed vt principium, & causam. Addit vero hæc sententia contra Scotum, has passionibus, etiam formaliter sumptas, includere essentialiter ens, propter easdem rationes, quibus id supra probatum est, de differentiis vel modis realibus, eadem enim procedunt de huiusmodi passionibus, supposito, quod positius sint, & reales. Vnde consequenter asserunt, in his transcendentibus non esse inconueniens, subiectum includi intrinsece in passione, quia non includitur vt subiectum, sed vt determinatum ad talem modum, qui modus est passio ipsius entis secundum se sumpti: & potest esse adæquatus illi, & conuenire cum illo, quia non determinat illud ad speciale genus entis, sed adicit illud quodam modo communi & vniuersali omnibus entibus. Nam vt D. Th. ait quæst. 1. de verit. artic. 1. dupliciter aliquis modus exprimitur, vel additur supra ens, scilicet, aut tanquam specialis modus entis, aut, tanquam modus generaliter consequens omne ens. Atque ex his purant huius sententiæ auctores posse expediri totam dubitandi rationem in principio positam.

IV.  
Tertia sententia.

Tertia sententia est, ens non habere reales passionibus positivas, sed omnia illa, quæ attribuuntur enti tanquam passionibus eius, addere ipsi enti solum negationem aliquam, vel respectum rationis. Hæc est sententia D. Thom. dict. quæst. 1. de verit. art. 1. & qu. 21. art. 1. quam etiam significat in 1. part. quæst. 5. 11. & 16. & vbiunque de his proprietatibus entis in particulari disputat. Eandem tenet Soncin. 4. Metaph. quæst. 1. ad 1. quæst. 17. & 19. ad 7. & libr. 5. quæstio. 14. Iauell. 4. Metaphys. quæst. 2. Soto in prædic. cap. de proprio. quæst. 2. ad 2. Caiet. 1. p. q. 54. artic. 2. Fonseca. 4. Metaphys. cap. 2. q. 3. Fundamentum huius sententiæ explicatum est in ratione dubitandi in principio posita, & in rigore est vera, indiget tamen explanatione.

Declaratur vera sententia.

V. EST igitur in primis aduertendum, aliud esse, prædicatum aliquod esse veram & realem passionem subiecti: aliud vero concipi, explicari, & prædicari à nobis per modum passionibus, seu proprietatis, quod proprius diceretur per modum attributi, ad eum modum quo Theologi loquuntur de diu-

nis perfectionibus. De ratione igitur veræ ac realis passionibus sunt illæ conditiones positæ in principio: ad posteriorem autem modum attributi seu proprietatis non sunt necessariæ, præsertim illa de distinctione ex natura rei, sed sufficit distinctio rationis, qua vnum vt subiectum habens aliquam essentiam seu rationem formalem, saltem confusè conceptam, aliud vero per modum perfectionis seu proprietatis concipiatur. Cuius rei exempla præter adductum de attributis diuinis sumi possunt ex Aristot. in Prædicam. vbi varias proprietates illis attribuit, quæ nō possunt aliter distingui, aut explicari, vt v. g. docet esse proprietatem quantitatis, quod sit fundamentum æqualitatis, & inæqualitatis, quæ proprietates nihil dicit in re distinctum à quantitate, sed est solum aptitudo, quæ nihil aliud est, quam ipsa quantitas: concipitur autem à nobis, vt ratione distincta ad distinctius explicanda munera ipsius quætitatis. Et eodem modo posset attribui quantitati vt proprietates eius esse subiectum proximum corporalium accidentium, quod tamen in re nihil dicit ab ipsa quantitate ex natura rei distinctum.

Proprietates  
quæ à subiecto  
in re distinctæ  
sunt, quæ nō  
sunt.

Exempla.

Secundo obseruandum est, in huiusmodi attributis formaliter sumptis aliud esse, quod ipsa sint entia realia, vel rationis: aliud quod distinguantur re, vel ratione: optime enim fieri potest vt sint realia, quamuis non re, sed ratione distinguantur, vt in exemplis positis facile patet: & ratio est clara, quia distinctio rationis, quæ oritur ex præcisione intellectus, non est per conceptionem alicuius fictæ entitatis, quæ nō sit in re, sed per modum solum in adæquatum concipiendi veram rem: potest ergo esse attributum reale, quamuis modus attributionis, & distinctionis, sit solum per rationem. Quin potius, si proprie loquamur, vt attributum sit sola ratione distinctum à reali subiecto, oportet quod sit attributum reale, & non rationis tantum, vel priuatiuum: alioquin formaliter loquendo, plus quam ratione distingueretur, scilicet vt nō ens ab ente, vel vt ab ente vero ens fictum. Quocirca obseruare etiam oportet, in huiusmodi attributis aliud sæpe esse, quod per illa formaliter significatur, aliud vero quod per illa à nobis explicari intenditur: sæpe enim id quod formaliter significatur, est negatiuum: per illud autem à nobis explicatur positium & realis perfectio rei, vt simplicitas, quæ à nobis assignatur vt attributum Dei, vel quorundā aliorum entium in suo gradu, formaliter in negatione consistit, per eam vero nos explicamus tale modum vel entitatem rei simpliciter.

VI.

Vltimo obseruandum est ex Aristot. ex Metaph. text. 14. & Th. 1. p. quæst. 48. art. 2. ad 2. & in 1. dist. 19. qu. 5. art. 1. ens proprie & in rigore significare entitatem rei, quomodo hæcenus de illo locuti sumus: interdum vero dicens quidquid simpliciter de aliquo affirmari potest: nam quia affirmatio fit per verbum essendi, quidquid simpliciter attribuitur rebus quamuis in eis nullam entitatem ponat, dici solet ens, seu esse, huiusmodi autem prædicata seu attributa videntur posse ad duo capita reuocari. Vnum est eorum, quæ in negatione, vel priuatione consistunt: sic enim dicimus rem esse indiuisibilem, actum moralem esse malum, hominem esse cæcum, & similia. Aliud est eorum, quæ consistunt in denominationibus extrinsecis sumptis ex rebus ipsis, quomodo dicitur Deus creator ex tempore, vel paries visus, &c. hæc autem denominatio interdum sumitur vt actualis, & requirit coexistentiam vtriusque extremi, vt in exemplis positis: interdum vero vt aptitudinalis, sicut dicitur paries visibilis, &c.

VII.

Entis duplex  
significatio.

His positis dico primo ens vt ens non posse habere veras, & omnino reales passionibus positivas ex natura rei ab ipso distinctas. Hæc est sententia D. Thomæ citatis locis, qui recte aduertit, sermonem esse de ente in quantum ens: nam, in quantum tale ens, bene potest habere passionibus reales ex natura rei distinctas.

VIII.

Non habet  
ens passionibus  
positivas ab  
ipso in re distinctas.

distintas, quia tale ens ut sic, potest esse extra essentiam alterius entis, & consequenter etiam extra essentiam suae passionis: ens autem in quantum ens, non potest esse extra essentiam alicuius entis: & ideo nulla proprietas, vel passio potest esse realis, quin in ea essentialiter includatur ens: & ideo non potest esse ex natura rei distincta ab ente: nam, ut supra ostensum est, ens in quantum ens, non distinguitur ex natura rei ab omni ente, in quo includitur essentialiter: & hoc est potissimum fundamentum conclusionis: quod variis modis confirmari, & explicari potest. Primo, quia siue ratio entis solitarie, ac praecise consideretur, siue ut est in rebus, nulla passio ex natura rei distincta inuenietur manare ab illa, vel ab aliqua re ex eo praecise quod concipitur est ens: sed ex eo tantum quod est tale ens. Quod patet inductione, nam attributa entis hactenus inuenta solum sunt illa, quae transcendentia vocantur: illa autem, vel positiua non sunt, vel non sunt realia intrinseca, vel si aliquo sensu talia sunt, non sunt ex natura rei ab ente distincta: quod melius constabit tractando de singulis his attributis. Nunc breuiter declaratur, quia haec attributa sunt communia Deo, & propriissime in illo reperiuntur absque distinctione ex natura rei. Quod si dicas, secus esse in creaturis, in primis hoc dicitur sine fundamento: oportet enim speciale aliquod indicium distinctionis eius, vel necessitatem assignare: nihil autem huiusmodi asserri potest. Ac deinde est optima ratio, quia nunc agimus de ente in quantum ens, ut abstracta Deo, & creaturis: ergo, quae illi attribuantur, vel attribuantur ut ex natura rei distincta, vel non: si hoc posterius dicatur, id est quod intendimus: nam si in aliquo ente haec distinguantur, id erit ex peculiari ratione, de quo postea videbimus: si vero dicatur prius, sequitur in omni ente, etiam in Deo, distinguere ex natura rei, quia quicquid superiori per se attribuitur, debet conuenire omni inferiori.

IX. Et potest hoc amplius virgeri, quia ipsum ens in quantum ens, ex eo praecise quod tale est, absque alio modo reali ei superaddito, & ex natura rei distincto habet quicquid positiue necessarium est, ut sit vnum, verum, bonum, &c. unde in ipsomet explicandi modo dicimus esse ens, quia habet veram essentiam, & perfectionem aliquam realem, &c. Nec refert, quod possit mens concipere & considerare rationem entis non expresse considerando alias rationes, quia hoc ad summum indicat distinctionem rationis, vel aliquid negatiuum aut extrinsecum in illis attributis inclusum, vel connotatum, ut postea declarabimus. Tadem huiusmodi distinctiones ex natura rei difficilissime intelliguntur, & ideo sine sufficiente indicio, & ratione non sunt multiplicandae: hic autem nullum est apparens indicium huius distinctionis, ut facile patebit ex dicendis, & ex solutionibus argumentorum. Et alioqui propter transcendentiam entis est in eo multo difficilior haec distinctio, ut rationes etiam in principio factae ostendunt, praesertim illa, quod subiectum sit de essentia passionis, cum tamen passio sit veluti accidens subiecti. In quo etiam specialem repugnantiam inuoluit, quod ens in quantum ens, quod abstrahit ab essentia substantiali, & accidentali, simplici vel coposita, actuali vel potentia, perfecta vel imperfecta, perficiet aut perfectibili, possit aut requiratur passiones distinctas, quae sine veluti quaedam intrinseca accidentia quib. perficiatur.

X. Dico secundo, ens in quantum ens habere aliquas proprietates seu attributa, quae non sunt per rationem conficta, sed vere & in re ipsa de illo praedicantur. Hoc totum probatur optime rationibus tactis in prima & secunda sententia. Simpliciter enim verum est, vnum quodque ens esse vnum, & bonum, &c. ut autem haec vera sint, non oportet ut mens fingat aliqua entia rationis: quamuis enim mens nihil de rebus cogitet, aurum est verum aurum, & est vna de-

terminata res distincta ab aliis: & similiter Deus est vnus, & bonus &c. Praeterea hoc recte probatur illa ratione, quod Metaphysica, quae est realis ac vera scientia, haec demonstrat de ente: non autem demonstrat aliquid ab intellectu fictum. Quapropter, si in hoc rigore loquamur de ente rationis, non recte dicuntur haec attributa significare de formali entia rationis, quia huiusmodi entia proprie solum dicuntur esse obiectiue in intellectu: unde solum sunt, quando cognoscuntur aut finguntur ab intellectu: haec autem attributa reuera non pendent ex fictione intellectus, sed absolute & ante omnem intellectus considerationem enti ipsi conueniunt, ut dictum est. Huiusmodi ergo locutiones, ut verae sint, quadam latori ratione exponendae sunt, quatenus omne id, quod non ponit in re, cui tribuitur aliquid reale positiuum & intrinsecum, dici potest ens rationis, vel, ut distinguatur contra ens reale proprium, habens veram & intrinsecam entitatem: vel fundamentaliter, scilicet, quia intellectus ad distincte concipiendum, & praedicandum huiusmodi attributa, sumit ex eis fundamentum ad coniungenda aliqua entia rationis.

Dico tertio: Haec attributa entis de formali addunt, vel negationem, vel denominationem sumptam per habitudinem ad aliquid extrinsecum, per ea tamen explicatur realis positiua perfectio entis, non secundum aliquid reale superadditum ipsi enti, sed secundum ipsamet formalem seu essentialem rationem entis. Hanc conclusionem indicasse mihi videtur Aristot. 4. Metaph. c. 2. simul dicens, ens & vnum eandem dicere naturam, & nihilominus non idem formaliter significare: quia nimirum vnum de formali addit negationem, quam non dicit ens, per eam vero nihil aliud explicatur, quam ipsamet natura entis, quod infra latius declarandum est. Similiter autem dicendum est, de vero & bono, & si quae sunt alia huiusmodi attributa, haec enim formaliter, & in ordine ad conceptionem nostram non dicunt idem quod ens, neque etiam dicunt negationem, ut ex se constat: significant ergo ens sub quadam habitudine ad aliud, scilicet, quatenus in se habet unde ametur, aut vere cognoscatur, aut aliquid simile, prout suis locis declarabimus. Et ita videtur re hanc plane exponere D. Thomas citatis locis. Ratio autem huius conclusionis est, quia haec attributa non sunt synonyma ipsi enti: alias nullo modo dici possent proprietates seu attributa, essetque nugatio dicere ens esse vnum, aut bonum: oportet ergo ut de formali significant aliquid praeter ens, non possunt autem de formali significare entitatem aliquam superadditam enti, ab ipsoque ex natura rei distincta, ut ostendit sum est: neque etiam significare possunt entia rationis in rigore sumpta, ut dixi: ergo nihil aliud dicere possunt, nisi aut negationem, aut priuationem, vel aliquam habitudinem seu denominationem extrinsecam. Rursus omnis haec attributorum ratio eo tendit, ut perfectius a nobis cognoscatur, & explicetur entis natura: alioqui frustra esset & impertinens ad scientiam entis: non autem ita est, sed valde accommodata: nam, quia nos simplicia non perfecte cognoscimus prout in se sunt, partim negationibus, partim comparisonibus ad res alias utimur ad ea distincte explicanda. Sicigitur, quamuis haec attributa de formali addant negationes vel alias habitudines, tamen per illas omnes explicatur entis natura, vel quoad perfectionem, vel quoad integritatem, aut aliquid simile. Dixi haec attributa solum addere supra ens negationem, vel quid simile, quia sub controuersia positum est, an formaliter seu in abstracto haec attributa dicant solum negationem, seu relationem, vel includant entitatem ipsam, quod melius in singulis passionibus explicabitur.

Soluntur argumenta.

AD rationem ergo dubitandi in principio positam, simul cum adiunctis in prima & secunda

F 4

opi-

Passiones enim non dicuntur de formali entia rationis, sed contraria locutio quomodo explicanda.

XI.

Quid addat de formali passiones entis.

XII.

opinionem, facilis est solutio ex dictis, iam enim concessum est hæc attributa non esse proprias passionibus reales cum eo rigore & proprietate, ut necessarium sit omnes condiciones ibi numeratas, eis convenire. Declaratum etiam est, quo sensu hæc attributa realia dici possint, scilicet, quia de formali dicunt aliquid, quod suo modo in rebus, & verè ac simpliciter potest enti attribui per modum privationis, vel denominationis realis seu aptitudinis realis cum habitudine ad aliquid extrinsecum. Et hoc est satis, ut hæc attributa secundum id totum quod includunt, non sint propriè essentialia: & ideo dicantur esse ad modum passionum, seu proprietatum. Sufficit etiam hoc: ut possint hæc attributa sub scientiam cadere, quandoquidem, & in rebus sunt, & eo modo, quo sunt, ens ipsum consequuntur, & ad illius naturam explicandam conferunt. Eò vel maxime, quod ad rationem scientiæ, & ad demonstrationes conficiendas sufficit distinctio rationis inter attributa, quæ nos, sicut concipimus, ita etiam ratiocinamur, & ita de Deo verè demonstramus esse immortalem, quia immaterialis est, & sic posset etiam fieri in attributis entis, etiam si sola ratione ab ipso ente distinguerentur. Tandem ex dictis etiam constat, quomodo ens non dicatur essentialiter de his proprietatibus seu attributis suis, nam secundum rem quidem essentialiter dicitur de illis, quia illa nihil aliud explicant, quam ipsam entis naturam, tamen non est de essentialia illorum quantum ad id quod addunt supra ens: quia negatio v.g. quam formaliter addit unum, non est essentialiter ens verum & reale, quale est illud quod dicitur esse quasi subiectum harum proprietatum: & ita evitatur processus in infinitum, & alia incommoda, quæ in argumentis tangebantur.

XIII.  
Qualiter attributa entis inter se differant.

Ultimò ex dictis colligitur, quomodo possint hæc proprietates seu attributa inter se distingui: nam quoad rem intrinsecam, quam in ente significant, non distinguuntur in re, cum nihil dicant ex naturâ rei distinctum ab ente, ut ostensum est: & hoc modo dici solet, quod in re entitas rei est bonitas eius & veritas, &c. conuerso. At vero, si concederemus id, quod de formali addunt, dici possunt formaliter differre, non quidem ratione formali intrinseca, & positiva, sed vel negativa, vel extrinseca: ut ex dictis satis constat, & patebit amplius ex dicendis in particulari de singulis.

## SECTIO II.

Quot sint passionibus entis, & quem ordinem inter se seruent.

I. Solent communiter sex transcendentia numerari, ens, res, aliquid, unum, verum, bonum: ex quibus videtur colligi quinque esse passionibus entis, quia tot sunt prædicata, quæ cum illo conuertuntur, & non plura. In contrarium autem est, quia neque illa omnia possunt habere rationem passionibus, & præter illa possunt alia à nobis excogitari. Primum probari potest ex dictis, quia res solum dicit de formali rei quidditate, & rata seu reali essentia: hæc autem non est proprietas, sed potius essentia entis: unde multi censent magis essentialè prædicatū esse rem, quam ipsum ens. Similiter aliquid, cum distinguatur immediatè contra nihil, nihil aliud formalissimè significare videtur quam ipsummet ens, perinde enim dictum videtur aliquid, ac habens aliquam quidditatem: hæc autem formalis significatio coincidit cum significatione rei, & entis.

II. Secundum probatur, quia præter illa prædicata videntur alia communia omni enti, ut v.g. durare, & esse alicubi: hæc enim necessariò comitantur omnia entia. Quod si dicas, hæc non convenire enti nisi ut existenti: hic autem esse sermonem de ente secundum se abstrahendo ab actuali existentia: contra hoc est

quia etiam illæ proprietates durationis vel localis præsentis, possunt secundum se considerari abstrahendo ab actuali existentia, & ut sic intelligantur habere connexionem per se cum ente: unde, sicut hæc prædicatio *ens est unum*, est perpetua veritatis absolvens copulam à tempore: ita & hæc, *ens habet durationem*, vel præsentiam localem. Est autem specialis difficultas de ipso esse actuali existentis, nam videtur esse proprietas quædam ipsius entis secundum se sumpti, quia non convenit ei essentialiter nec omnino per accidens. Rursus præter has passionibus simplices videntur esse alie complexæ seu distinctæ: sicut enim proprietas numeri dici potest quod sit par vel impar: & quantitatis, quod sit finita vel infinita: ita entis passio dici potest quod sit finitum vel infinitum, actu vel potentia, aut similia. Ultimò si ad passionibus entis, ut dictum est, sufficiunt negationes, seu habitudines rationis, hæc poterunt in infinitum multiplicari, ut esse idem, non esse impossibile, esse amabile, esse intelligibile, &c.

### Questionis solutio.

Hæc quæstio solum proponitur, ut tractationem hanc de passionibus entis ad certa capita reuocemus, & ideo breuiter dicendum est, si propriè loquamur, & non fingamus distinctiones minimè necessarias, tres tantum esse proprias passionibus entis, scilicet, unum, verum, & bonum. Quod enim hæc tres inter se distinctæ sint saltem ratione formali, siue illa sit negativa, siue positiva, siue realis, siue rationis, facile quis sibi persuadebit. Primo ex communi sententia omnium scribentium de hac materia. Secundo, ex communi modo concipiendi, & significatione ac interpretatione ipsarum vocum: nam unum ut sic, solum significat, quod res sit in se integra & indiuisa: unde formaliter negationem addit, in quo distinguuntur, à vero & bono. Hæc autem inter se distinguuntur, quia verum dicit adæquationem, vel habitudinem ad intellectum: bonum autem ad voluntatem seu appetitum tanquam conueniens illi, siue hoc dicat formaliter, siue fundamentaliter: hæc autem sunt rationes, vel habitudines valde diuersæ. Quod etiam à contrariis facile declarari potest: nam veritas opponitur multitudini: bonitas malitiæ, veritas falsitati: hæc autem valde distinctæ sunt. Tandem ex his, quæ in particulari de his passionibus dicemus, hoc euidentius constabit, simulque ostendemus, quodlibet istorum attributorum conuenire omni enti reali, atque ita conuerti cum ente: sunt ergo hæc tres passionibus entis.

Quod autem præter has non sint alie, colligi potest ex D. Thom. doctrina: licet enim sæpe numeret illa sex transcendentia, eorumque rationem & sufficientiam declaret, ut quæst. 1. de verit. artic. 1. quæst. 21. art. 1. & sæpe alias: tamen, cum in particulari agit de his proprietatibus, nunquam tractat nisi de illis tribus, ut patet ex i. p. q. 5. 11. & 16. & in dictis quæstionibus disputatis. Potestque in hunc modum declarari ex dictis: nam res & ens iuxta communem usum tanquam synonyma usurpantur: & interdum de ente actu existentè dicuntur, interdum verò ab actuali existentia præcendant, quare neutrum est passio alterius. Cuius etiam signum est, quod unum nunquam prædicatur de alio, & si ita prædicetur, censetur esse negatio, seu identica prædicatio. Alia vero prædicantur de ente, illique adiunguntur, ut adiectiuum substantiuo: sic enim dicitur, ens unum, ens verum, &c. ens autem & res substantiuum sunt, neque possunt eo modo coniungi: signum est ergo, unum non esse passionem alterius. Quod si velimus hæc duo in eo rigore distinguere, quo D. Tho. supra ex Auicenna illa distinxit, quod res præcendat ab existentia actuali, & meram quidditatem significet: ens autem sumptum sit ab esse, & solum dicat ens actualiter existens.

III.  
Passiones entis tres tantum.

III.

Res & ens non se habent sicut essentia & passio.